



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. Quâ formâ seu modo fieri debeat absolutio ab excommunicatione?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

litia alterius alteri poenitenti noceat. Multa adhuc alia in hoc §. disputantur, de nulla, & injusta excommunicatione; quod in illo casu nulla sit necessaria absolutio, ne ad cautelam quidem, in hoc autem casu sit necessaria absolutio, si agere velit excommunicatus &c. quæ apud Auth. ipsum rectius videbuntur, in casu ubi necessitas, aut utilitas scientiam illius requirit, videatur etiam *cap. Romana §. b. t. in sexto.* & quæ §. 3. sequente apud Auth. Meth. disputantur.

## §. IV.

*Quâ formâ seu modo fieri debeat absolutio ab excommunicatione?*

**N**ulla quidem certa verba præscripta sunt, quibus fieri debeat absolutio ab excommunicatione; quæ tamen ordinariè adhibeantur (saltem in foro externo) apud Theologos morales videre est, duplex tamen absolutio in tali (non quidem ut valida sit, sed ut sit licita) præmittenda est cautio, prima quidem per juramentum fit, de parendo mandatis Ecclesiæ, vel ipsius absolventis, quod scilicet huiusmodi delictum eum iterum impofterum non velit *cap. 10. 11. 12. b. t.* secunda est de satisfaciendo parti læsæ, sine qua satisfactio, aut saltem cautio (licet saltem) absolvi non potest. Neque tamen, qui iuravit se satisfacturum, si postmodum id non præstet, quamvis possit, in priorem excommunicationem ipso jure reincidit, cum hoc in nullo jure expressum sit. Ut autem absolvatur aliquis validè, aut

licitè, non requiritur quidem illius presentia, cum sicuti absens ligari potest censurâ, ita ab eadem absens possit absolvi, requiritur tamen, ut obtineatur absque vi, aut metu justè incusso (ita ut de jure Ecclesiastico nec valida sit, si vi aut metu injustè incusso (ita ut de jure Ecclesiastico nec valida sit, si vi aut gravi metu injustè incusso obtineatur *cap. unico de his, quæ vi metue in 6.*) ne disciplina Ecclesiastica damnatum aliquod patiat, si contra illam vis, aut metus prævaleat: & quamvis sub conditione de præterito, vel de præterito, valida, & licita sit absolutio ab excommunicatione, si fiat tamen sub conditione de futuro, pendet illius solutionis effectus, donec conditio impleatur, ex voluntate scilicet Ecclesiæ statuente hanc à conditione suspensionem; secus autem fit in Sacramentali absoluteione à peccatis, ubi ex institutione Christi, à qua Sacramentum hoc dependet, nulla dari potest absoluteionis in capaci subiecto suspensio.

Sunt alij adhuc duo modi, quibus subinde ab excommunicatione v. g. absolutio datur, ad cautelam scilicet, & ad reincidentiam: priori modo datur absolutio, si dubium, seu suspensio est, an aliquis censuram aliquam incurrit, qualis absolutio non tantum ordinariè præmittitur sacramentali peccatorum absoluteioni, ad vitandam scilicet contumaciam, sed aliis etiam casibus, quorum valor, per censuram v. g. impediri potest, prout ordinariè in scriptis Romanis, in ordine ad electionem, collationem beneficii &c. fieri

solet, cap. Venerabili 25. h. 3. Ad reincidentiam fit absolutio, quando quis propter impedimentum v. g. legitimum ab inferiore, qui alias absolvendi licentiam non habet, absolvitur quidem, cum eo tamen onere, ut cessante hoc impedimento temporali, se presentet superiori, cui talis absolutio reservata est, sub pena in eandem (moraliter) excommunicationem reincidenti, si se presentaturus non sit cap. eos qui 22. h. 1. in 6. ne detur occasio censuram Ecclesiasticam impunè contemnendi.

§. V.

*Verum is, qui duabus vel pluribus excommunicationibus ligatus est, si ab una absolvatur, censetur etiam absolutus ab aliis?*

Respondetur negativè, si ex pluribus diversis causis plures excommunicationes incurrit, & in petitione absolutionis, unius tantùm causæ meminit, tacendo alias, prout sumitur ex cap. clem. pro causa 27. h. 1. & si à pluribus Prælati, quibus subiectus est, propter plures excessus excommunicatus fuit, non erit absolutus ab excommunicationibus suis v. g. si ab uno tantùm eorum Prælatorum absolvatur, sed ab aliis etiam absolvi debet, (nisi hi omnes unum eorum commissionem dedissent, suo etiam nomine absolvendi eum cap. officij. 42. h. 1. cum per hoc, quòd unum eorum propter delictum contra ipsum commissum satisfactum fuerit, non cen-

*Compend. Perhing.*

seatur etiam aliis propter delicta in ipsos commissa, satisfactum.

§. VI.

*De absolute excommunicati decedentis in excommunicatione.*

Excommunicatum, quamvis multa signa pœnitentiæ ante mortem dederit, & coram Deo ab omnibus peccatis absolutus sit, coram Ecclesia tamen ligatum suam adhuc censuram posse manere etiam post mortem, clarè colligitur ex cap. à nobis 28. h. 1. & hinc prout ex ipso cap. hoc patet, post mortem etiam absolutio (saltem indirectè) à censuris potest illi dari, & debet, si de ipsius viventis pœnitentiâ per evidentia signa constiterit, ut Ecclesiæ scilicet suffragiis, & sepultura Ecclesiasticâ gaudeat; & hæredes illius satisfacere pro anima illius debent de jure Canonico, etiamsi nihil ex delicto ad eos pervenerit, cum enim vivens ille pœnituerit, & quantum in se fuerit, satisfecerit, aut satisfieri voluerit, consequenter voluntatem hanc exequi debent illi, ad quos bona defuncti hujus pervenerunt.

§. VII.

*Quando excommunicatus habendus sit pro absoluto ab excommunicatione, vel non?*

Ex hoc solo capite, quòd quis à suo Episcopo excommunicatus ad Romanam curiam accesserit, non debet haberi

00000

haberi